

## REGULUS

[31]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN  
(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Lictores ite sultis obviam illi, patri patriae  
Sublime fascis tollite. Iste est consul, non ego.  
Quirites, consul voster iste Romam deserit.  
PO. Etiam ut consul. Salvos, Metelle, sis consul, ave.  
RE. Secretane est in me futuri temporis praesensio,  
An deus aliquis bonus ante mortem aperit mentem mihi?  
Non, per Iovem, sanguis meus fundetur futile:  
Nam praevideo, ad quantam venturast Roma magnitudinem,  
Superbiā vero hostium fractum iri contumacem praedico.  
Pugnabis, vincetis, civitas Karthaginensium  
Peribit, totus orbis terrae perdomabitur,  
Fastigium potentiae tanget Romana civitas  
Et regnabit. Io triumpe! — PO. Io triumpe, victoria!  
RE. Ego valere vos iubeo. — ME. Lictores, progrediamini.  
LIC. Quirites, Regulo locum date. — PU. Noli a me, mi pater,  
Discedere iratus. — RE. Me non votuisti ad civis dicere.  
In morte resedit iracundia. Benedico pol tibi.

## SCENA VII

ATILIA, PRIORES.

AT. Hau, mittite me, crudeles, parcite, recedite!  
PU. Vae mihi, mater! — RE. Retinet illos. — AT. Recedite.  
LIC. Iam neququam. — AT. Hei Regule, redde mihi perazonium.  
SER. Huc respice me, matercula. — MU. Heu mater mea!  
RE. Cavete his. — AT. Sta modo pauxillum; sta modo.  
POP. Videte sultis hunc deum, pergit, abiturus est.  
ME. Nunc in navim condescendunt. Iam discessit; o dii!  
AT. Pro di immortales, iam discessit, iam profectus est!  
Muci, Serani, huc venite ad me, aram amplexamini,  
Iurate vos ulturos esse Karthaginensis impios,  
Tam clara voce, quae deos ex somnis excitet.  
POP. Omnes iuramus nos ulturos esse! — AT. Gratias  
Vobis, quod iuravistis, ago nunc maxumas.  
TU. Karthaginenses sic olim matres cubent.  
ME. Karthago deleatur. — POP. Deleatur, occidat.


FINIS.

# ALMA ROMA

Per.  
Lat  
011

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO.



*Pauca exemplaria reperta sunt*

IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae,  
cui titulus:

## EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,60 in Italia;  
libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur IOSEPHI FORNARI  
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud  
ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 600 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1200, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXV

Romae, mense Novembri MCMXXXVIII

Fasc. XI



# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite* mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*

## HISTORICAE NOTAE

### De publico rerum ordine in primitiva Societate Romana<sup>1</sup>

Pater familias, utpote huius parvi regni sui unus rex, personam quoque familiae gerit quod ad externa attinet negotia; ideoque ipse consortium familiarum adit, et si quando quaestio quaelibet inter familiarum membra oritur, res inter patres familiarum agitur.

Demum qua sacerdos ipse sacra agit, offert sacrificia Laribus familiae cultumque curat domesticum.

In iure historico, patre familias vita functo scinditur familia in tot familias quot filii liberi sunt; tamen inter has familias novas, quae a patre descendunt, cuius memoria exstat, vinculum quoddam permanet, quo veluti consociatio nova exoritur («familia magna» hodie appellatur) iure agnaticio compaginata: omnes enim personae eiusdem magnae familiae «agnati» dicuntur.

Unde Ulpianus: « Quum paterfamilias moritur, quotquot capita ei subiecta fuerint, singulas familias incipiunt habere: singuli enim patrum familiarum nomen ineunt.

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

Idemque eveniet et in eo qui emancipatus est; nam et hic sui iuris effectus propriam familiam habet. Communi iure familiam dicimus omnium agnatorum; nam etsi patre familias mortuo singuli familias habent, tamen omnes qui sub unius potestate fuerunt, recte eiusdem familiae appellantur, qui ex eadem domo et gente proditi sunt». <sup>2</sup>

Addit «et gente», quia agnatio et inter gentem viguisse tenetur, et magna familia passim cum gente confunditur.

Haud tamen certo constat num etiam antiquitus, patre familias mortuo, familia in plures dissolveretur; non dissolvi nos credimus cum clarissimo Bonfante. Nam

1º familia primitiva tenacissima erat, ut vidimus, ideoque natura sua divisionem aversabatur; 2º erat politica quaedam societas, quae pariter natura sua reformidat divisione; 3º scimus ideo testamenta inducta fuisse, ut pater familias designaret quis sibi succederet non in patrimonium, sed in patris familias potestatem; quod explicari quidem non posset si familia patris morte dissolveretur; 4º denique leges XII tabularum decernunt: « Si intestato moritur, cui suus heres nec escit, adgnatus proximus familiam habeto; si adgnatus nec

<sup>2</sup> Dig., l. 16, 195 § 2.

escit, gentiles familiam habento». <sup>3</sup> Sic in Numae legibus cautum erat, ut «si quis imprudens occidisset hominem, in concione agnatis afferret arietem»; <sup>4</sup> et in lege XII tabularum favore agnatorum vigebat poena talionis; quin etiam adhuc saeculo II a. C. n. in mulieres liberas patria aut maritali potestate iurisdictio est penes agnatos, et sub ipso imperatore Claudio agnatorum in mulieres tutelam quae gravissima est etiamtum viget.

\*\*\*

Sed ad «gentem» deveniamus.

*Gens*, a gignendo, generationem sonat, atque eos complectitur, qui ab uno dicuntur originem ducere stipite; eius tamen memoria non exstat; en discrimen inter familiam et gentem: familiae pater adhuc in hominum memoria est, gentis vero non est.

Hinc gens consociatio appareat ex natura simul ac territorio; ex natura quia nitor origine communi, licet immemorabili, aut tantum praesumpta; ex territorio, quia adhaeret certo cuidam loco, pago: utope naturalis respicit eundem stipitem sanguinemque communem, atque eos complectitur qui ex eodem sunt oriundi; ratione territorii respicit terram, sedem, pagum, eosque etiam complectitur, qui licet forte revera ex eodem stipite non sint, ex eodem censentur, quasi in eam gentem absorpti. Scilicet quum migrationum praehistoricarum tempore turmatim varii populi regionem quamdam occupabant, in eis familias et gentes inveniebant, quae pro viribus immigrantibus resistebant; sed quum a praevalentibus superatae fuissent iisque cedere coactae essent, non semper nec omnes emigrabant alio; quaedam in suis sedibus remanebant et cum immigrantibus miscerantur, gentemque novam efformabant. «Gentiles sunt inter se qui eodem nomine

sunt... qui ab ingenuis oriundi sunt... quorum maiorum nemo servitum servivit... qui capite non sunt deminuti»: ita Mucius Sc. apud Ciceronem.

Praeterea, licet, ut supra vidimus, familia mortuo patre saepius remaneat sarcina tecta sub novo patre familias, maior, amplior tamen fit, ideoque vinculum agnitionis progressu temporis magis magisque relaxatur; et si quando stipitis primi memoria historica aut obnubiletur aut evanescat, et ad eam significandam nihil aliud supersit nisi aut nomen aut vaga quaedam traditio, iam familia natura ipsa extinguitur, et oriatur gens.

Itaque in gente aut praevalet elementum familiae, ut hic, aut territorii, ut illic; nomen vero unum semper est, ductum ab eo qui fuit aut fuisse habetur stipes primus, quique habetur veluti «eponimus», heros gentis. Quapropter familiam inter et gentem unum hoc est discrimen: aliquando fontis communis memoria exstat: en *familia et agnatio*; aliquando communis fontis memoria non superest, licet notae quaedam inveniantur derivationis communis, duae praesertim, nomen et cultus: en *gens et gentilitas*.

SILVIUS ROMANI.

## SACERDOS IDEMQUE MATHEMATICUS ET POËTA LATINUS

Ferax poëtarum Latinorum adhuc est Italia. Huc enim Musae Ausonides cum renatis post aevi medii barbariem litteris quasi quodam postliminii iure redissent, adeo honorifice exceptae sunt, ut hic stabiles sedes fixerint, rarius in regiones transalpinas migrantibus. Imprimis autem hoc decennio — duce Mussolinio antiquis litteris favente — numerus poëtarum Latinorum in Italia crescit. Si qua urbs festa saecularia obit, magistratus largis praemiis

<sup>3</sup> Tab. IV, 2 et 3.

<sup>4</sup> SERV. in VERG., Egl. IV, 43.

propositis efflagitant carmen Latinum ad haec solemnia exaratum, Maecenates stipendia condunt ad certamina poësos Latinae publice instituenda, permultae ephemrides libenter edunt Musarum Latinarum specimina a lectoribus suppeditata. Nil mirum igitur, si tanto undique favore excitati novi succrescant vates, ut eorum numerum vix inire possis. In senioribus autem maxime animos ad se convertit Anacletus Trazzi, sacerdos ecclesiae Romanae idemque professor artis mathematicae et rerum naturalium cum laude emeritus.

Prope Vergilii patriam in vico Sustinente a. MDCCCLXVI natus, postquam litterarum elementis partim inter privatos parientes, partim in ephebeis Brixensi et Mantuano imbutus est, Romae in Gregoriana studiorum universitate praeter theologiam philosophiae, physicae, mathesi operam navavit. Inde Mantuan reversus, quoniam nondum aetate maturus erat, ut sacerdotis munus susciperet, professoris matheseos, physicae, historiae naturalis provinciam in ephebo capessivit. Quam quinquaginta duos (!) <sup>1</sup> annos sustinuit, quoad viribus debilitatis in otium recessit. Titulo Archidiaconi Ecclesiae Cathedralis ornatus, Mantuae merita quiete fruitur, Musis potissimum Latinis addictus.

Iure stupeat quispiam, quod natura — alioquin parca in donis dividendis — unice eidemque ingenio adeo diversas contulit facultates, quales sunt ars mathematica et ars versus pangendi. Etenim sobria ars Arabum longe abhorret a poësos sublimitate, nec poësis ipsa curare solet numeros, nisi eos, qui ad versus rite compendios necessarii sunt. Non sine causa igitur suspicimus eum, qui utraque arte ex aequo pollet. Nostra autem increscit admiratio, si poëta idemque mathematicus praeterea theologiae mysteria amplexus sacris

<sup>1</sup> In nostra republica professores scholae secundariae sexagesimum aetatis annum egressi vel inviti «rude donantur».

divinis operatur aliisque sacerdotii officiis incumbit.

Neque esse Trazzium e poëtis mediocribus iam inde intellexeris, quod e certaminibus Latinae poësos lauream aut saltem summam laudem referre solet. Immo carmine, cui titulus: *Ruris facies vespere* victor discessit e certamine a MCMXXXIII ab Academia Amstelodamensi indicto, aureo donatus praemio. <sup>2</sup> Excellit autem inventionis laude singulari, cum pari facilitate componat carmina epica, lyricalia, didactica, nec minore solertia tractet res recentes quam antiquas. Quin intra octo annos tria festa bimillenaria versibus persecutus est: Vergili, Horati, Augusti. Materiae varietati respondet metrorum libertas. Quamquam poëta hexametrum et distichon elegiacum saepissime usurpat, tamen omnia Horati metra cum successu tentavit. Poësis eius, quae iam quinque volumina explet, quamquam auctor proiectiore tandem aetate ad scribendi studium se contulit, praeterea se commendat dictionis perspicuitate et versuum elegantia. In rebus prosodiacis et metricis non servat Trazzi ubique severas normas aevi Augusti, sed admittit licentias aetatis posterioris et recentioris. Raro incidimus in menda prosodiacis aut in locutiones minus Latinas, ad noviciam loquendi normam accommodatas. Dolendum vero est nonnullos versus typothetarum sordibus esse inquinatos, quae ut in altera editione tollantur, iure optemus. Sed quoniam poëta adhuc vivit et e gravi morbo modo recreatus, nova carmina animo meditatur, accuratum ac stabile de eo iudicium ferre posteritati relinquamus, quae universa fata eius et poëmata recensere et ad trutinam vocare poterit.

At mihi, cum Trazzium cognossem et cum eo amicitiam, quam magni facio, iunxissem, in mentem venit deliberare, num quem sacerdotem eundemque mathematici

<sup>2</sup> Carmen in ALMAE ROMAE fasciculo mens. Augusti MCMXXXIII editum est.

cum et poëtam saecula priora protulissent. Et diutius meditatus duos aemulos inveni, cum eo comparandos, alterum Italum, alterum civem meum Bohemum: illi nomen est Thomas Ceva, huic Stanislaus Vydra.

De quibus alias. FR. PALATA.

## DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS<sup>1</sup>

### De significatione tum activa tum passiva quorumdam adiectivorum

Quibusdam adiectivis significatio subest modo activa, modo passiva.

**EXEMPLA:** Sex. Titius seditiosus civis fuit et *turbulentus* (CIC.) — Cur *turbulentam* fecisti mihi aquam bibenti? (PHÆD.) — Te cupimus in libera re publica magnum atque honestum esse (BRUTUS) — Vitæ instituta sic distant, ut Cretes et Actoli latrocinari *honestum putent* (CIC.) — Alia omnia erant vasta, inculta, *infesta* serpentibus (SALL.) — Tu spem reducis mentibus *anxiis* (HOR.) — Hanc sollicitam timor *anxius angit* (VERG.) — Hedera est *gratissima* Baccho (Ov.) — *Grati ac memores* beneficij esse videntur (CIC.) — Nimis *formidolosum* facinus praedicas (PLAUT.) — Mancipia esse oportet neque *formidolosa*, neque animosa (VARRO) — Apparet id quidem etiam *caeco* (TIT. LIV.) — Cur hoc tam est obscurum atque *caecum?* (CIC.) — Dubius sum quid faciam (HOR.) — Haud *dubium* id quidem est (PLAUT.) — Quibus agrestis vita est, circumscriptio *ignara* est et *fraud* (SEN., Ir., III, 2) — Navem agere *ignarus* navis timet (HOR., Ep., II, 1, 114) — Virtutis expers, verbis iactans gloriam, *ignotos* fallit, notis est derisui (PHOED., I, 11) — Non solum ipsa fortuna *caeca est*, sed eos etiam plerumque efficit *caecos*, quos complexa est (CIC., Am., XX, 15, 54).

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

### De adiectivis et participiis substantiis positis

Adiectiva itemque participia substantiivorum naturam obtinere possunt ad exprimendas notiones sive concretas, sive abstractas.

**EXEMPLA:** Plerique *vana* mirantur (TAC.) — Non sunt divitiae *bonum* (SEN.) — Populus stultus honores saepe dat *indignis* (HOR.) — *Legati* Venusiae cum paucis ac *semermibis* consulem invenerunt (TIT. LIV.) — *Aegri* non omnes convalescunt (CIC.) — *Cupidis* voluptatum odiosum et molestum est carere (CIC.) — Gloria est consentiens laus *bonorum* (CIC.) — Quid est tam commune quam spiritus *vivis*, terra *mortuis*, mare *fluctuantibus*, litus *electis?* (CIC.) — Aliis gravis aut molesta est vita *otiosorum* (CIC.) — Equum non crebris vulneribus exterret domandi *peritus* (QUINT.) — Erat eodem tempore *adolescens* nobilis, quem ad perturbandum rem publicam mali mores stimulabant (SALL., Cat., 18) — Audiat *pravus* fata quae manent culpas etiam sub Orco (HOR., Od., III, 8) — Omnia benignitas properat et proprium est libenter *facientis* cito facere (SEN.) — *Imperiti* facile ad aliquid credendum impelluntur (CIC.) — Zeno *conscios* delenda tyrannidis non indicavit (CIC.) — *Improbi bonis* amici esse non possunt, quod maxima est inter eos morum distantia (CIC.) — *Invidi* virtutem et bonum alienum oderunt (TIT. LIV.) — Mors gloria est; mors ergo non *malum* (SEN.) — Nullius *boni* iucunda possessio est sine socio (SEN.) — Tu, ut tui *familiarissimi* dictitant, vini exhalandi, non ingenii acuendi causa declamas (CIC.) — Iordanis undae *superiecta* ferunt; *periti imperitique* nando perinde attolluntur (TAC., Hist., V, 6) — Illi quorum studia vitaque omnis in rerum cognitione versata est non solum vivi *studiosos* discendi erudint atque docent, sed hoc idem etiam post mortem monumentis litterarum assequuntur (CIC.,

Off., I, 44) — *Honestum ei* vile est cui corpus nimis carum est (SEN., Ep., 14) — Parati erant et obsides dare et *imperata* facere (CAES.) — Natura cupiditatem ingenuit homini *veri* inveniendi (CIC., Fin., II, 14) — Omnia quae secundum naturam fiunt sunt habenda in *bonis* (CIC., Sen., 71) — Debemur morti nos *nostraque* (HOR.) — Magis deos *miseri* quam *beati* colunt (SEN.) — Poene nulli se *invitanti* negabat Augustus (MACR.) — Cato censorius quoad vixit *nocentes* accusare non destitit — Facilius est egestatem ferre in hac *natis* (QUINT., Declam., 169).

### Conversio passivi in activum

Multas ob causas activa passivis permutteri possunt, vel etiam debent.

**EXEMPLA:** A Romanis nihil publice sine auspicio nec domi nec militiae *gerebatur* (CIC.) — Omnia longe ampliora quam a me *praedicuntur* invenies (PLIN.) — Nullo modo animus audientis aut incitari aut leniri potest, qui modus a me non tentatus sit (CIC.) — Virtus est una altissimis defixa radicibus, quae nunquam ulla vi *labe-factari* potest (CIC.) — Si qui *voluptatibus* ducuntur, missos faciant honores; ne attingant rem publicam (CIC.) — Adeone *hominibus immutari* saepe sententiam! — A Diodoto studiosissime in dialectica *exercebar* (CIC.) — Epicurus testificatur nullum se bonum intelligere posse praeter illud quod sensibus capiatur. An haec ab eo non *dicuntur?* (CIC.) — Non possum adduci ut abs te nullas litteras putem datas (CIC.) — Non prius duces dimittunt quam ab his sit *concessum* arma uti capiant (CAES.) — Tu fac, quod facis, ut me ames, teque amari a me scias (CIC., Fam., XIII, 47) — Xerxes se a Themistocle non *superatum*, sed *conservatum* esse iudicavit (CORN. NEP., Them., 5) — Te decipi a me non oportet (PLIN., I, 1, 5) — Accusativi geminatione facta amphibolia solvitur ablativo, ut illud: «Lachetem audivi percussisse Demeam» fiat: «A Lachete percussum esse Demeam» (QUINT., VII, 9) — Herculem Homerus *conveniri* apud Inferos facit ab Ulyxe (CIC.) — Ego quoque a meis me amari et magni pendi postulo (TER., Ad., V, 4) — Videbam belli civilis *historiam* iam a te paene esse *perfectam* (CIC., Fam., V, 12) — Quod scribis, mi frater, te a Caesare quotidie plus *diligis*, immortaliter gaudeo; Treboniumque meum a te amari, teque ab illo, pergaudeo (CIC., Ad Quint. fratr., III, 1) — Quum viderem me a Caesare honorificentissime tractari et unice *diligis*, sic ei te commendavi ut diligentissime potui (CIC., Fam., VII, 17) — Lapides in murum iaci *coepi* sunt (CAES.) — Triumphales coronae antiquitus e lauro erant; post fieri ex auro *coepitae* (AUL. GEL.) — Porta *coepita* est refringi (TIT. LIV.) — L. Papirius Crassus Papirius est vocari desitus (CIC.) — Nullos honores mihi *decerni* sino (CIC.) — Verres hominem *corripi* ac *suspendi* iussit (CIC.) — Delectum *haberi* prohibeo (TIT. LIV.) — Caesar pontem qui erat ad Genavam iubet *re-scindi* (CAES.) — Intelligitur corporis *voluptatem contemni* oportere (CIC.) — Rem opinor *spectari* oportere, non verba (CIC.) — Persae credebant non oportere deos parietibus *includi*, nam mundum esse eis templum (CIC.) — Facinus est *vinciri* ci-vem romanum (CIC.) — Consulem alterum Roma, alterum ex Latio *creari* oportet — Regulus *reddi* captivos negavit esse utile (CIC.) — Aeduorum leges duo ex una familia magistratus *creari* vetabant (CAES.) — Caesar celeriter sarcinas *conferri* iussit (CAES.) — Alexander sepulcrum Cyri iussit aperiri (QUINT. CURT.) — Caput fixum *gestari* iussit in pilo, reliquum corpus abiecit in mare (CIC.) — Nihil in bello oportet contemni — Pompeius rem ad arma *deduci* studebat — Dux castra *muniri* vetuit — Germani ad se vim importari omnino non sinunt — Cn.

Pompeii gratiam mihi per hanc causam conciliari puto (CIC.) — Imperavit quam plurimas venenatas serpentes vivas colligi (CORN. NEP.) — Sub vesperum Caesar portas claudi iussit (CAES.).

I. JSS.

## DE PICTURIS SEPULCRALIBUS IN CHRISTIANORUM CATAOMBIS

De hoc argumento agenti, id in primis mihi declarandum est, quidquid in hoc scripto propositum est, id ex opere principe de ipso argumento, ab eruditissimo et reverendissimo viro Wilperto edito, esse deductum et quasi in epitomen redactum, paucis tantum additis.

Hisce positis, et de arte picturarum sepulcralium in Christianorum cataombis, sive de «technica» picturarum scribere aggredienti notare in primis iuvat eiusmodi picturas, non aliter ac sunt picturae quae hodie in Pompeianis aliisque Campaniae ruinis cernuntur, super udo tectorio factas esse, scilicet in recenti parietum tegumento, eoque etiamtum molli depictas. Ut hae picturae efficiantur, prius apte corrum est parandum, quod his vocabulis significabatur: *opus tectorium, dealbatio, ex politio, koviaots*: «Tectorium — ait Plinius — nisi quod ter arenato et bis marmorato inductum est, nunquam satis splendoris habet». <sup>1</sup> Amplius Vitruvius exigit, sed huiusmodi normae perquam raro servatae inveniuntur. Plerumque tegumenta murorum depictorum tribus constant stratis; at in cataombis, quum tectorium non quidem muro, sed tufo adhaerere deberet, leges praefatae valde imminutae observatae fuere. Semel enim omnino triplex reperitur tegumentum, nempe in crypta

<sup>1</sup> PLIN., *Hist. nat.*, xxxvi, 175. — *Bis marmoratum*, duobus stratis calcis cum pulvere marmoreo mixtae inductum significat.

S. Ianuarii apud coemeterium Praetextati; sed exceptionis ratio est, tectorum hoc magna ex parte murum latericum conuestire.

Igitur catacumbarum vetustiores picturae in duplice, tardiores vero plerumque in unico tegumento elaboratae sunt. Ne autem tegumentum caderet, praesertim in laquearibus cubiculorum, clavis ferreis firmabatur; quod item in antiquioribus picturis factum est, ut apud cubicula Sacramentorum, quae nuncupantur, in coemeterio Callisti.

Tectorio parato, pictor praecipuas figurarum lineas ducebat, parietes in regiones distinguens: hoc facile hodie apparet in cubiculis, quorum laquearia circulis commune habentibus centrum divisa in partes fuerunt. Hae lineae primum ferro ductae fuisse videntur; tardius vero ipso penicillo, quo figurae deinde complebantur. Quoniam autem raro fiebat ut pictor figuratas corrigeret suas, hinc etiamsi mediocres aliquando picturae videantur, tamen non ita est de pictoribus iudicandum, qui rapidis paucisque penicilli ductibus eas efficiebant.

Notum est, picturis udo tectorio faciens, minerales, ut vocant, omnino adhibendos esse colores; nam animales vegetalesque colores calce recenti destruuntur.

Usitatiores colores ruber, pullus, flavus, albus et viridis fuere: rariores autem caeruleus, cinnabarensis et niger, et hic rubro caeruleoque mixtus dumtaxat. Tenuis colorum numerus ex eo est repetendus, quod personae repraesentatae tunica pallioque vulgo vestirentur; quae quidem indumenta paucos colores ferebant.

Semel delineatae, figurae coloribus complebantur uniformibus; deinde, novis penicilli ductibus plus minus obscurioribus clarioribusque, umbrae sinus et rimae efficiebantur, licet, paucis exceptis casibus, haud nimia in hoc fuerit sedulitas, quae alioquin, propter complexionem colorum, lucis locique conditiones, parum profuisset.

Fundus interdum rubro pingebatur colore, sicut in pluribus Pompeianis tabulis; rarius subflavo, super quo deinde figurae ducebantur.

Primo alteroque saeculo, cubicula cryptaeque integræ pingi solitae sunt; unicum huius temporis exemplar datur privati sepulcri depicti, arcosolum videlicet quadam in coemeterio Priscillae. Hinc nulla erat ratio, cur mos in domibus exornandis adhibitus et in sepulcris depingendis non servaretur; ita laquearia leviter decorata sunt, utpote quae sustentata apparebant; parietes e contra pleniori modo. Verum quum sepulcralis Christiana ars non ad visum delectandum omnino destinata esset, sed intellectui potius quam oculis loqueretur, ditiori figurarum copia sepulcrorum quam domorum parietes exornati sunt. Progressu vero temporis, quum cubiculorum parietes ad numerosiora corpora recipienda parati essent, minus pictoribus spatium depingendum mansit, unde complexae compositiones, quae in parietibus prius fiebant, in laquearibus fornibusque fieri coepitae sunt.

Figuræ in laquearibus, paucis exceptis casibus, centrali coordinantur imaginis; haec vero plerumque cubicula ingrediens erecta apparet, quod proprium Romanæ est artis. Caelatae in tegumento figuræ posteaque depictæ semel tantum inveniuntur; at quam illis deteriores figuris quae in domibus sepulcrisque ethnici conspicuntur!

Saeculo III, sed praesertim post pacem Ecclesiae donatam, haud raro unicum parietem in cubiculis pictum cernimus, necnon et unicum aliquando arcosolum, vel parietem ingressus, vel denique solum laquear, quod quidem pulchritudinis sensum ac studium apud Christianos, neandum apud ethnicos, iam imminui et pessimum ire testatur. Sed una cum detersiore pulchri intellectu etiam materia artis sensim fit deterior; tegumenta minus polite


saeculo IV quam antea parantur, colores non ita puri adhibentur; unde, licet colorum diuturnitas eadem maneat, nihilominus hic veluti canon chronologicus statui potest, nempe quo melius materia accuratiusque opus, eo est antiquior pictura.

Tandem notandum venit, non unicum pictorem omnes unius cubiculi figuras elaborare potuisse, quum de picturis udo tectorio ductis agatur, quae quam citissime fieri deberent, ne tegumentum induresceret. Id, alioquin, ex eo colligitur, quod eodem in cubiculo interdum stili varietas facile deprehenditur, quae minime temporibus diversis quibus picturæ factae fuissent, est tribuenda, sicut nonnulli præteritae aetatis archaeologi arbitrati sunt.

Pictores, ut Ioannes B. De Rossi opinatus est, ad ipsam fossorum classem pertinuerent, namque, ut Wilpertus clare demonstrat, interdum sunt picturæ in eodem coemeterio, aut etiam in coemeteriis eiusdem viae, ita propter stilum inter se affines, quae, aut ab iisdem pictoribus, aut a pictoribus eiusdem scholæ necessario dicendae sint elaboratae. Itaque de pictoribus idem atque de lapicidis dicendum; unde primum est credere utramque classem ad fossorum genus pertinuisse; imo nonnunquam ipsum fossorem et scalptorem simul et pictorem fuisse. Ceterum id congruit cum iis quae de pictoribus caelatoribusque apud Romanos scimus. Huius enim generis artifices aut servi plerumque aut liberti erant, unde Nevoli illa apud Iuvenalem verba: «Sit mihi praeterea curvus caelator, et alter — Qui multas facies pingat cito! Sufficiunt haec — Quando pauper ero». <sup>2</sup> Taliū denique epitaphia infimae originis homines aut libertos produnt; idque rationem aperit cur nunquam antiquis tabulis auctorum nomina subscripta sint.

S. S.

<sup>2</sup> Nempe: «Duo servi, alter caelator pictorque alter qui alacriter laborantes magno mihi sint emolumento» (IUVEN., IX, 146 sq.).



## ARA PACIS AUGUSTAE IN URBE RESTITUTA

Artis et historiae documen praesigne vetustae, barbariae et crebris saeclorum diruta plagis, fragminibus lectis Augustae Pacis in Urbe undique, compositis scite, vetus Ara resurgit. Auspicio sane faustum, quod volvitur, aevo!

\*\*\*

Quot subeunt animum, vivo dum marmore  
[sculpta] conspicio genti, quae prima ab origine Numen,  
consilio arcano, digessit fata Latinae!

Ecce triumphato toto dominatur in orbe,  
imperio Hispanis, Caesar, Gallisque revinctis;  
sol nihil Urbe polo maius speculatur ab alto;  
Romuleas populi didicere capessere leges;  
undique tuta silet tellus, vacuique duellis  
servat adesa fores Iani ferrugine clavis.

Pacifer Augustus populi clamore secundo  
audit, per memores titulos celebrandus honore.  
Nec mora, consulto decernitur Ara Senatus,  
quae canat Aeneae clara de stirpe nepotem,  
Pacis et Augustae consurgit sculptilis aedes.  
Mens tamen humanas moderatur provida sortes.  
Tempora vix decies expleverat annua curru  
sol radiante suo, squalens cum cantus ad antrum  
Caelituum Bethelum resonavit: *Gloria summo  
sit super astra Deo, Pax et mortalibus alma,  
quos bona semper agit custos rectique voluntas.*

Augustum latuit, se mundi sceptra tenente,  
adventasse Deum humana sub imagine terris,  
cuius ad ingressum pacatum praestitit orbem.  
Pax populis Christus, summis qui copulat ima,  
qui nostri exitii decretum delet acerbum,  
atque homines rursus fraterno vincit amore.

Altera mox Pacis consurget verior Ara,  
cum Crucis horrenda suspensus in Arbore Iesus,  
humanae crimen subolis commune piabit.  
Ipse sibi populos innectet et Hostia munda  
sub specie panis vinique litabitur usque.

\*\*\*

Praecipitis veterem fregit fuga temporis Aram,  
stat nova saeclorum Christi secura ruinae;

nec tamen effulsit semper pax candida mundo,  
nam bona defecit mortales saepe voluntas.

Nunc iterum Pacis, tumulo prisca Ara propin-  
qua

cernitur Augusti. Plausus ex corde sagaci  
artifici tribuo, scite qui sparsa coëgit  
fragmina, ab integro renovavit et arte sacellum.

Consilium veneror dium. Mirabile rursus  
instauratur opus, nostris apprima diebus  
appositum, armorum tremefactis saepe tumultu.

Horruerat nuper tellus, bacchante minaci  
bellorum fremitu; sibi iam foedata supremam  
cladibus Europeos expavit paene ruinam,  
cum necopina salus Tybridis fatalibus oris  
emicuit populis, pacisque imponere morem  
sic iterum Romae licuit, prout carmine miro  
Vergilius, vere vates, portenderat olim.  
Hinc merito Pacis renovatae plaudimus Arae.

\*\*\*

Applicitis sed eam frustis coalescere cernis,  
nec caret infasto signo! Vesana simulas  
dividit, heu, stirpes, et tristes suscit iras;  
nulla fides animis, nullum socialis amoris  
foedus, in exitium conflantur et arma vicissim.  
Stabit?... an Ara brevi rursus quassata fati-

[scet?...]

Ad Christum, populi cuncti, properate volen-  
tes:  
iurgia dispereant; eadem quos iungit origo,  
queis Pater est unus, sanguis quos abluit idem,  
praelia ne lacerent, odium ne scindat iniquum!  
Poplite rite novam flexo procumbite ad aram,  
participes diae, quam nobis porrigit, Escae;  
Ipsem et fragilis sic vinclum fiet amoris  
gentibus, et lites aequae componet acerbis,  
paxque cupita diu trepidum tutabitur orbem.

Mense octobri, a. 1938.

HIRPINUS.

## CAELESTIA

Legentes quae diebus his nostris passim  
et ephemerides, et commentarii et diaria  
de luna ferunt, illa in memoriam redeunt,  
quibus romanae historiae libros Lucius  
Florus orditur suos. Ubi enim ad Augusti  
aetatem pervenit haec habet: «A Caesare  
Augusto in saeculum nostrum, haud multo  
minus, anni ducenti, quibus inertia Cae-  
sarum quasi consenuit imperium atque de-  
coxit; nisi quod sub Traiano principe mo-  
vet lacertos, et, praeter spem omnium,  
senectus imperii, quasi reddita iuventute,  
revirescit». Haec eadem de luna ad nostra  
usque tempora passim tradita sunt, haec  
eadem ab astronomis pariter modo tradun-  
tur. Nam sive solis fulgore gloriosa niteret  
in caelo, sive umbris obsita nigresceret,  
astrum iners, demortuum iam inde, vita-  
que omni germinante penitus destitutum  
narrabatur, in quo vicissitudine perpetua  
quatuordecim dies totidemque noctes ter-  
restres horrendo calore aestuentes cum  
quatuordecim diebus totidemque noctibus  
nostris glaciali frigore rigentibus alterna-  
rentur. Non aquas, non aërem, vegetans  
nullum, vitae nullum indicium telescopiis  
muniti astronomorum oculi in luna repe-  
riebant. Alpes altissimae, abyssus profun-  
dae, praeruptae rupes in caelum nudae  
minantes, voragini hiantes immane ap-  
parebant, et quae «mare solitudinis»,  
«oceanus serenitatis», et huiusmodi in ea  
appellantur, moerenti respicientium de-  
siderio potius adscribenda, quam veritati  
rerum erant, qui haec nuncupabant ea  
lege, qua

*nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.*

Memini (plures delapsi anni sunt) me  
legisse in astronomico libro nonnullas ibi  
mutationes fuisse animadversas, quibus de  
habitatoribus in luna — de Selenitis —  
adstrueretur suspicio. Fassi sunt enim

quaedam illic intercepisse albicantia spa-  
tia olim rotunda, quae in quadrum postea  
crevissent, et lineas, albicantes et ipsas,  
quae aggerum viarumque in modum inter  
illa spatia producerentur. Rati sunt igitur  
illa esse oppida in urbes mutata, hasce  
esse vias, quae ad civium commoda inco-  
larumque regionis instruerentur. Hinc, fa-  
ctis innixam, aliquam in animos praesum-  
ptionem ingerebant esse Selenitas; attamen  
quotidiana difficultas exstabat ex eo, quod  
nemo sine aqua, sine aëre vivere posset,  
nisi aliud cogitaretur, id est ibi esse vi-  
ventes longe a nostrorum corporum struc-  
tura diversos, quibus nec aëris, nec aqua  
opus esset. Atqui si absque cibo, absque  
respiratione, absque potu viverent, quid  
illis necessaria longa itinera, quid stratae  
viae, quid denique tecta ubi nullae pluviae,  
nullus ventus, nulla vis, nullus impetus  
procellarum, contra quae omnia sibi domos  
et habitacula Selenicolae extruerent?

Hoc in pede res erat, acriter demor-  
tuam lunam Schroeter, Maedler, Schmidt,  
Webb, Neison, Egler sententia, argumen-  
tationibus, auctoritate tuentibus, quum recti-  
cius facere visum est, si quae severiori  
inquisitioni et diligentiori opponebantur  
crassa terrestri atmosphaera, penitus re-  
moverentur. Hinc speculae binae consti-  
tutae, altera in insula Iamaica ad Mandeville,  
altera in Arequipa Peruviana; illa,  
quadam insulae felicitate purissimo ex  
aëre, vel minima exiguis telescopiis di-  
scernenda praebet, quae maximis in urbe  
Cambridge nequicquam inquirerentur; haec  
in Alpibus Andicis constituta, duabus me-  
trorum millibus et quingentis excelsa (sta-  
tio Harvard appellatur) optime vel singula  
detegit; nullo siquidem vapore vel fumo  
aër obfuscatur. Atque geminae hae spe-  
culae, Iamaicensis et Peruviana, ista quae  
sequuntur sedulis observationibus pro certo  
habenda dederunt.

Plutonica, quam dicunt, vis in luna  
adhuc fervet. Proculdubio quassationibus,

horrendis olim haec vulcanica vis lunarem orbem, quantus patet, subvertit. Abrupti montes, hiantes profunditates, barathri immanes, crateres, ut aiunt geosophi, talia testantur, nec quisquam, ruderibus coram amplissimis, urbem exstissee olim, subversam postea concidisse inficiabitur.

Singularis inter lunares vulcanos ille habetur, cui a Linnaeo nomen est, quem Grimaldus astronomus anno MDCLI descripsit, cuius et imaginem retulit, qua notatur profundus nimium, etsi spatio non maximus. Quid? Eumdem Schroeter anno MDCCCLXXXVIII praebet non profundum, non tenebriscosum abysso hiante, sed quasi per exiguum superficiem, rotundam, scintillantem, aliquid in medio habentem quod non emineret. Atqui nisi Linnaeanus ille hiatus longe maior, quam nunc appetat, tunc temporis fuisset, debilioribus telescopiis, quo prisci illi utebantur, distingui nullimode potuisset.

Sed huius vulcani persequamus historiam. Circa primos annos praeteriti saeculi xix Lohrmann de Linnaeo scribebat abyssum esse quatuor circiter millibus hiantem diametro passibus, profunditatis immensae. Vides quam sit diversus a Schroeterii sententia! At Maedler septies perscrutatus assidue, sedule, diligentissime, crescentem rictu notavit; nam rictu horrendo non quatuor, sed sex passuum millibus hiabat. Crescit amplitudo una cum annis, et Schmidt, qui imaginem eius octies retulit, diametrum illius dilatat ad septem passuum millia, profunditatem ad metra plus minusve trecenta. Verum hic ipse, qui talia octies de illo dederat anno MDCCXLIII, anno MDCCCLXVI annunciat prorsus evanuisse, nec amplius existere videndus. Porro talis erat. Verum repente paucos post menses astronomo eidem rurus emicuit, at vix quinquaginta passibus ac ducentis patebat; mox, biennii spatio, iterum ad diametr. 1500 passuum crescere pedentim; postea imminutus est, vix

septingentis, vel octingentis passibus diametro hians.

Haec et similia, quae in collibus, conis vulcani Plutonis observata sunt, ad evidentiam ostendunt et ultra vulcanorum vim lunae inesse frequentem, potentissimam, et a nostris vulcanis non absimilem. At ubi ignis ibi aqua; alteruter enim ex duabus sine adversario exstare non potest; et pulchre unusquisque de alterutro diceret quod olim de se poëta:

*Nec tecum possum vivere, nec sine te.*

Aqua immissa et admissa, intima soli strata concipiunt ignes et flagrant, ignium calore aquae, solidae quae prius erant frigore, solvuntur, moventur, adstruuntque nubes et pluvias; fontes et flumina, stagna, lacus, conficiunt; per vegetalium membra moventur; per aërem diffunduntur, et magnam atmosphaerae partem constituunt, sine qua vita germinantium omnium et animantium minime existet. Itaque, dum diligentius omnia investigantur, in luna compertum est carentes illas in montibus lineas urente sole descrescere, recedente increscere; quae in vallibus enormibus nuda erant visa sunt quemdam colorem induere, ubi illae solis ignibus adortae minui coepерunt. Ergo in luna aquae, glacies, nives; ergo vegetalis vita; ergo et animalis. Huc usque nunc; cetera avidi exspectamus.

At interea astronomi magnis aucti inventis, quibus aetas haec ultima feliciter potita est, profunda caeli bono alite perscrutantur. Opus circa solem eiusque maculas ultra sumpsere sibi speculae Greenvianae, Indicae, et quae in insula Mauritio constitutae ad hoc sunt; nec dies sine linea praeterit. Speculae americanae, Yerkes, auctore Georgio E. Hale, aliquid perfectius Greevianis ipsis attigerunt, instrumento reperto, quo, uno tantum intercepto solis radio, puta calcii, frequissimi in sole, ex hoc probatur virtus esse in sole ubique; at longe fortius illic exsi-

stere ubi maculae habentur. Doctus vir Langley, a speculis Smithsoniani athenaei, «bolometrum», instrumentum novum adstruxit, quasi oculum manufactum quemdam, tenuissimo metallico filo constantem, per quem electricus agitur rivus. Apparatus hic ita caloris particeps fit, ut, ne ab ipso calore humanae manus attingentis commoveatur, apposita in theca includendus sit, et haec in aqua sit submergenda. Hac industria usus Langley calorem solis ita dimensus ad apicem est, ut res eadem nec aliis contigisse antea, nec aliquid desiderandum praeseferre videatur. Nondum tamen quantum caloris a sole terra suscipiat, quantoque imbuatur ad unguem compertum est; nam difficile est adstruere et quot disperdantur in atmosphaeram radii, nec minus difficile est inquirere quantum caloris a se terrestris moles expellat.

De stellis modo dicendum esset, sed ea res est amplissima etsi iucundissima, quam nec hodierni spatia commentarii capere possunt, neque brevissimo audemus coarctare compendio, quasi lectores nostros exquisitissimis privaremus deliciis.

M. L.

### Adnotaciones ad sollemnia natalicia Christi

Quam fugax labitur breve spatium temporis, quo ab illo festo laetitiae pacisque secernimur, quod Christo nato addictum adventicio tempori cumulum affert gloriae! Mox de integro Christi fideles totius orbis terrarum animo propensissimo verba excipient simplicia et flexanima, quibus Lucas apostolus, quid olim Bethlehemi gestum esset, memoriae prodidit.

Quae ille Graeco sermone scripsit, mihi hunc in modum exprimere libet: «Accidit autem, dum ibi sunt, ut completis ad pa-

riendum diebus filium ederet primigenitum, quem incunabulis involutum in praesepe reclinavit loco eis in deversorio non relicto. Erant autem pastores in eadem regione sub caelo commorantes et noctu vigilias ad gregem agentes. Iamque angelus Domini adstitit illis, quos claritas Domini circumfulsit eoque magnus timor invasit. Tum angelus ita eos affatus est: «Nolite timere! Ecce magnum enim gaudium toti populo futurum vobis nuncupo, Salvatorem, qui est Christus Dominus, hodie vobis natum esse in civitate Davidica. Hoc autem vobis signum erit: Infantem invenietis incunabulis colligatum et in praesepe repositum». Et subito caelestis militiae multitudo cum angelo se congregavit laudantium Deum et dicentium: «Gloria in altissimis Deo et in terra pax inter homines bonae voluntatis!» Deinde, cum angeli ab eis in caelum abscessissent, factum est, ut pastores inter se loquerentur: «Transeamus modo usque Bethlehemum et hanc rem gestam videamus, quam Dominus nobis pronuntiavit». Quo cum pervenissent festinantes, Mariam Iosephumque invenerunt atque infantem in praesepe iacentem» (LUC., Evang. II, 6-16).

Quam exilis esset vita nostra, si excelsis anni festis careremus, quam gravia essent onera unius hebdomadis sine ullo die Solis, sine die requiescendi atque recordandi! Quod cum ita sit, non alienum videtur esse celebritatem sacrae noctis «diem Solis» totius anni significare, quo animi curis oneribusque anni recessentis expediuntur, quo homines tacito gudio ac beato affecti artius congregantur.

Ex quo celebratio propria nativitatis Christi anno CCCLIV Romam introducta fuit, populi christiana fidei sua quisque indole hoc festum variis modis conformaverunt. Populus quoque Germanicus eos ipsos dies ingenio atque animo singulari complexus est. Notum quidem est nostrum arboris Christi usum, qui Argentorati, in

urbe Alsatiae Germanicae, primum anno MDCIV in lucem prodiit, magis magisque ad ceteros populos deductum esse. Nullum toto anno apud nos festum exstat, quod ad familiam, laetitiam, pacem, felicitatem tantopere valeat, quantopere nostra sacratae noctis celebritas. Accedit etiam, quod hic « dies Solis » anni post proavorum memoriam nobis sanctus est ut dies recordationis.

Qui enim umquam puer sub arbore Christi candelis ardentibus ornata stetit, qui cantica sacratae noctis cum parentibus consanguineisque cecinit, qui proprietatem ac sanctitatem illius noctis animo et mente comprehendit, is pulchrum quiddam in vitam posteriorem secum fert. Germani, sive peregre novam patriam reperiebant sive in hostium finibus militabant, omnes sacratam noctem in pueritia celebratam memoria tenerunt. Senis et adolescentis, pauperis et divitis, asperi nautae et materculae grandis natu eodem modo animi percūtiuntur. Ubicumque alias sollicitudo et cura, maeor et necessitas domi sunt, ibi aditus ad gaudium aperitur.

Quid? Haec nonne mirabilia sunt? Ubi dos est mundi, quae liberorum animos, mentem viri agentis, matrem fidelem atque providam, senectutemque simul permoveat et ab imo pectore beet?

Summa tamen sacratae noctis minime locata est in donis, in sollemnitate, in familiari abiете cum luminum corona. Quae si essent ita, omnes pauperes et aegroti, magna multitudo vitam spe destitutam exhibentium hunc diem festum habere non deberent. Immo, dum homines hanc terram peragrabunt, desiderium quoddam eorum animos tenebit, quo ad exsolutionem miseriarum implorandam et pacem pro discordiis exorandam impelluntur. Ac vero hoc desiderium expletum est. Salvatoris enim adventu prisca generis humani quaestio ad liquidum perducta est.

Quis est qui nesciat populos orbis chri-

stiani laetum de Christo nato nuntium canticis sermone patrio compositis etiam atque etiam exornavisse? Ubi cumque voces Germanorum sonant, crepusculo sacri vesperi intimum illud de « placida sanctaque nocte » canticum auditur, quod in pago Iuvensi die XXIV Decembris MDCCCVIII primum auscultatorum aures oblectavit. Parochus Iosephus Mohr fuit poëta; Franciscus Gruber, magister ludi litterariorum, notas musicas composuit. Quo in genere quid aevum nobis affert antiquitatis renascentis? Ecce duo carmina sacra Cricii, de cuius vita in ALMA ROMA breviter disserui,<sup>1</sup> mihi praesto sunt:

## I

### IN NATALI SACRO AD PUEBUM IESUM

*Christe puer, mellite puer, rex parvule regum  
Ne vagi, ecce ortum Styx tremit atra tuum,  
Ecce tuas humiles ornat vis caelica cunas  
Et laudent dominum cuncta creatu suum.  
Bos asinusque tibi ancillant, te stella corusca  
Indicat et reges mystica dona ferunt:  
Aurum, ut te regem declareret, Christe, potentem,  
Tura sacerdotem, funera murra nota.  
Tu, venerande, puer vili sub tegmine vagis,  
Idem caelesti tu quoque nube tonas.  
O mira et secreta nimis divina voluntas,  
Sicne vis mundi comminuisse ducem!  
Comminues suberuntque suo vero omnia regi,  
Meta nec imperii non erit ulla tui.  
Te precor, alme puer, peccati pondere pressus  
Digneris adventu me relevare tuo.*

## II

### CANTILENA IN NATALI CHRISTI

*Christe, qui caeli residens in arce  
Motus et nostra pie rex ruina  
Natus es nobis hodie pudico  
Virginis alvo,  
En tuum laeti veneramur ortum  
Et tibi festos modulamur hymnos,  
Quos in excelsis placido precamur  
Accipe vultu.*

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Iunii, pag. 97.

*Da tuum digne celebrare nomen  
Daque corruptam reparare vitam,  
Linquat in nostris tua nos periclis  
Dextera numquam.  
Pelle languores tenebrasque mentis  
Et malas nostri procul hostis artes  
Sitque Sismundi<sup>2</sup> tibi cura nostri  
Principis almi.*

Vratislaviae moratus scripsit  
HANS LIS,  
studiorum consiliarius.

<sup>2</sup> Sigismundus primus, Polonorum rex 1506-1548.

## NOSTRA RES

### Ad renovandum latinae linguae usum

JOSEPHUS HOLZER, Monachipratensis  
« Aliae Romae » lectoribus et sociis.

Superiorem epistulam finiens scripsi redigaria absoluta varia secutura esse. Quam materiam antequam iudicio vestro, lectores, subiciam, occasionem hanc opportunam non praetermittam quin vos horter, ut frequenter descendatis in certamen. Sunt certe multi, qui nostris habeant meliora. Ea si contulerint, brevi « Res Nostra » successus habebit optatos. Neque vero me verba daturum esse auribus surdis spes me tenet, quin immo multis delectaturos esse animum nostrum symbolarum varietate. Qua spe elatus, quae litteris reciprocatis procudimus, nomina pertexam. Atque vos, lectores amplissimi, Avenarii vocabula accipite auribus pronis secundisque!

1. ANSCHLUSS (*correspondance*, gall.; *coincidenza*, ital.) = agmen continuativum. — Consequarne, optime ductor, Sarebrugis continuativum Treviros agmen? — Tanganne Sarebrugis agmen Trevirensse continuo?

2. GASMASKE (*masque à gaz*, gall.)

= larva gasaria; si de sparteolis, *appareil respiratoire* = larva respiratoria, spiramentum, respiramentum.

3. INSTALLATEUR = structor electro-technicus.

4. LEERLAUF (*marcia a vuoto*, ital.) = spontaneus, ultraneus cursus.

5. MARSCH (*marcia*, ital.) = modulata incessio vel processio, embaterium, symphonia embateria, embaterium funebre, nuptiale.

6. PLATTFORM (*piattaforma*, ital.) = podium, ponticulus. — Vetantur vectores remorari in podiis curruum ferriviariorum.

7. POSTLAGERUD (*fermo in posta*, ital.) = retinendum vel asservandum in diribitorio. — Tradetur in ipso diribitorio.

8. PRELLBOCK (*butoir*, *heurtoir*, gall.) = aries, repagulum.

9. PUFFER (*respintore*, ital.) = repercussorium.

10. RAUPENAUTO (*autochenille*, gall.) = autocinetum erucatum, diga erucata.

11. REISSVERSCHLUSS (*fermeture éclair*, gall.) = clausura vel fibula ductilis, vel ductaria.

12. ROHÖLMOTOR (*moteur à huile lourde*, gall.) = motorium oleo crudo.

13. TREKKER (*tracteur*, gall.) = tractrium, traharium.

14. WILDELEDERHANDSCHUHE (*guanti scamosciati*, ital.) = Ferini corii digitabula, vel digitalia.

15. ZIGARRE (*cigare*, gall.) = convolvulus.

16. ZIGARILLO (*cigarillo*, gall.) = convolvillus.

17. ZIGARETTE (*cigarette*, gall.) = convolvellus.

18. GOEPEL (*manège*, gall.; *argano*, ital.) = Goepelinum machinamentum, Goepelina tribuli circumactio.

19. PFERDEGOEPEL (*manège à cheval*, gall.) = equestris tribuli circumactio.

20. Si cuius in fodinis est usus GOEPEL, est HEBEWERK: ergatam noster nominat.

21. SELBSTAUSLÖSER (*autodéclencheur*, gall.) = apertura automata.

22. EINSTELLEN (*mettre au point* in arte imagines lucigenas exprimendi) = rem disponere photographice, machinam adaptare rei excipiendae, rationes experire radiophonicas excipiendae rei.

23. FAHRRAD (*bicyclette*, gall.; *velocipede*, ital.) = birota. — Partes birotæ:

a) RAHMEN (*cadre*, gall.; *telaio*, ital.) = textum, contignatio, sponda, statumen, cantherius. — (« Palaestra » *quadrum vocavit*).

b) UBERSETZUNG (*multiplication*, gall.; *moltiplica*, *rapporto*, ital.) = tramontorium. Ipse de « relatione » et « multiplicatione » cogitavi.

c) FREILAUF: « Quam tu rotam libera (ruota libera, ital.; *roue libre*, gall.) "Palaestra" et Galli rectricem vocant rotam, alteram motricem ».

d) RÜCKTRITTBREMSE (*freno a ruota libera*, ital.; *contre-pédalage*, gall.) = posticum sufflamen. — Sed ambiguum quid inest. Nam etiam de freno à capulo (*poignée*) in rotæ posticae canthum per filum ferreum ducto intellegi potest. Itali viam ad « frenum rotæ liberae » monstrant. Evidem etiam de « contrapedali » coepi cogitare.

e) GABEL (*fourche*, gall.; *sterzo*, ital.) = furcula.

f) GEPAKKHALTER (*porte-bagage*, gall.; *reggibagaglio*, ital.) = sarcinale, sarcinarium (sc. retinaculum).

g) LENKTANGE (*manubrio*, ital.; *guidon*, gall.) = regula, manubrium. — « Pal. » *flexorium* habet.

h) RADSTÄNDER (*reggibicicletta*, ital.) = birotarium sustentaculum, statumen.

i) RADTASCHE (*sacoche*, gall.) = loculus, bulga, perula.

j) SPRINGFEDER (*ressort*, gall.; *molla*, ital.) = tendiculum.

m) GEMUFFT = maniculatus, manibulatus.

n) AUPUMPEN (*gonfler les pneus*, gall.) = canthum pneumaticum antlia dispendere, canthis aspirare, canthos, inspirare.

o) MOTORRAD (*motociclo*, ital.) = birota motoria, quam vocem ipse subiungam.

#### 24. RADIO :

a) RADIO ANSTELLEN (*mettre au point*, gall.) = instrumentum expedire, aperire radiophonum. — Quibus oppositum: Satis nunc radiatum est: Seiunge vas! Intercepte radios! Prohibe aethera! — Huc quoque spectant: « Da Monachium! Experire stationem Monacensem! Adapta vas stationi! Mitte, occlude Monachium! Missam fac stationem ».

b) ERDUNG (*presa di terra*, ital.) = filum terræ, atterratio, conterratio. — Cum terra vas inungere, copulare vas terræ, atterrare, conterrare (*stabilire il contatto col suolo - erden*).

c) FRITTER (*cohéreur*, gall.) = cohæsorium.

d) ENTFRITTERN (*décohésion*, gall.) = discohaesio, decohaesio. — Quae Avenario non satis placent, sed quid offerat melius, non habet.

e) DROSSELSPULE (*bobine d'étranglement*, gall.) = cylindrulus strangulans, cylindrulus variantis inductionis, circumfilatum (*neutrius gen.*) inductionem varians.

f) SPULE (*bobine*, gall.) = cylindrulus circumfilatus.

g) SELBSTINDUKTION = inductio automata. Automata cylindruli influxio.

h) BLOCKKONDENSATOR = condensatorium fixum.

i) GITTERKONDENSATOR = craticulum, vel clathratum.

l) GITTER (*griglia*, ital.) = crates s. clathri.

m) RÜCKKOPPLUNG (*couplage à réaction*, gall.) = recopulatio.

n) AUDIONSCHALTUNG (*lampe audion*, gall.) = adductio tubi auditorii.

o) WIDERSTAND (*le rhéostat de réglage*, *résistance*, gall.) = resistentia, renisus, repagulum.

p) FADING = Attenuatio.

Valete!

Ex vico Münchwies.

## ANNALES

### Cecoslovachiae divisio

Die i mens. Octobris Sudetorum regio in Cecoslovachia, iuxta Monacensis conventus statuta, in Germanorum ditionem transferri copta est; gradatim sine ulla controversia insequenti die decima perfecta res erat.

Pacifico autem, ex colloquiis habitis inter Poloniae Cecoslovachiaeque legatos, composita sunt de Polonica gente negotia, iure Polonici dominii recognito in territorio Cyeszyn.

Haud similiter condiciones cum Hungarisi processere: discrimin enim ortum est de populi scito regionibus a Cecis Magiarisque simul cultis concedendo. Lauibili vero utriusque partis consilio definitio Italiae Germaniaeque arbitrio commissa est. Convenerunt igitur Vindobonam Italicus Germanicusque exterarum rerum ministri, qui auditis partium querelis, sententiam dedere, per quam Hungariae fines per chilometra triginti circiter ultra terminos iam antea pactos producti sunt; redditae Hungariae sunt civitates Neuhaust, Lewens, Lutschenetz, Kassa, Uzhorod et Munkacs; Cecoslovachiae relictae Bratislavia in territorio Slovaco, Nitra et Sevjetusch cum municipiis circum in Ucraina.

### In Sinis

Et Canton portus, locus quidem commerciorum imperatorius, et Hankow urbs, extermum Sinensium firmum munimentum, in Iaponiorum manus redacta sunt. Non tamen Ciang-Kai-Scek, Sinensium ducis supremi, pervicacia fracta est; itaque Iaponii ad Cheng-Sha, Hunan territorii caput, nunc vim suam verterunt.

### Hispanicum et Palaestinum bellum civile

« Nationalistarum » Hispanorum victoriae iuxta Iberum, ad Mora in usque urbem productae, gravi luctu funestatae sunt: Franco enim aëreus navarcha, summi duces frater, Balearium insularum aëronavium stationi praepositus, in mare cecidit, misereque vitam amisit. Italia millia decem legionariorum, qui sponte ad arma profecti erant in Hispaniam contra Communistarum factionem, ibique per annum cum dimidio strenue dimicaverunt, in patrum revocavit.

In Palaestina Hierosolymae urbis pars vetus ex insidiis ab Arabis capta est; verum post paucos dies ab Anglicis copiis redempta. Certamina autem singula, impetus et hominum militumque petitiones adhuc in dies nunciantur.

POPLICOLA.

## VARIA

### Quae coactus pepigisti necessene est ut serves?

Postquam Romam reversi sunt Consules cum exercitu ex Caudina illa clade inermi et ignominia affecti, primus in Senatu consul S. Posthumius suasit non servandam esse pacem illam tam turpem cum Samnibus factam: se enim et ceteros, qui huius

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere, cui titulus: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

foederis una secum auctores fuissent, iis pactis plane liberari, si sese ceterosque, qui una secum id foedus fecissent cum Samnitibus, captivos in Samnium mitterent, eosque hostibus traderent. Tanta autem contentione in senatu defendit hanc sententiam consul, ut Patres illi assenserint, et proinde ipsum ceterosque huius pacis auctores captivos in Samnium miserunt, simulque Samnitibus indicarunt, se tradendo pacis ignominiosae auctores, iis pactis liberos esse, neque amplius teneri. Postremo consuli ea in re fortuna tam prospera fuit, ut Samnites eum retinere noluerint. Itaque Romam iterum reversus maiore in auctoritate fuit ob rem ad Caedium male gestam, quam Pontius apud Samnites ob partam victoriam.

Hic autem duo sunt, quae imprimis observatione digna censeo. Unum est quod laudem et gloriam ex qualibet actione comparare possis. Victoria communiter laudem et gloriam apud omnes parat; e contra autem, si ipse victus sis, iterum laude tua non carebis, si monstres, quod accidit infortunium, non ex tua culpa accidisse, aut si acceptum damnum aliqua re praecclare gesta iterum compensaveris. Alterum quod, si quae per vim promissa non observaveris, id sine dedecore facere queas. Quaecumque enim promissa publico nomine per vim extorta, ea omnia, ubi cessaverit vis illa quae prius cogebat, irrita fieri solent, et quidem sine ignominia eius, qui non servat quae per vim coactus promiserat.

Huiusmodi rerum exemplorumque plenae sunt historiae, et in quotidiano rerum usu alia infinita occurrent quotidie. Cernimus enim inter viros principes nullos esse qui servent ea, quae per vim coacti promiserunt, postquam desiit vis illa quae coagit. Imo neque reliqua promissa servant, quando causa, quae eos promittere fecit, non amplius urget. Quae quidem res sitne principi digna laude an non, hoc loco non amplius disquiremus.

### Senex et Iuvenis

Senex quidam iuvenem sibi poma suripientem blandis oravit verbis, ut ex arbore descenderet, nec res suas auferre vellit; sed quum incassum verba funderet (iuvene eius aetatem ac verba contemnente): « Non in verbis tantum — inquit — verum etiam in herbis audio esse virtutem ». Herbas igitur vellere et in illum iacere coepit; quod iuvenis conspicatus, in vehementem risum effusus est, et senem delirare arbitrabatur, qui crederet eum ex arbore herbis posse depellere. Tunc senex: « Quando — inquit — verborum et herbarum vires adversus raptorē meārum rerum nullae sunt, lapidibus agam, in quibus dicunt quoque esse virtutem », lapidesque, quibus gremium impleverat, in iuvenem iacens, illum descendere et abire coegit.

Fabula indicat omnia prius prudenti tentanda, quam ad armorum confugiatur auxilium.

### Pro iudicibus mensarum elegantibus

#### ESCARUM ORDO:

*Ius gallinaceum in scypho progestum.  
Locustae marinae isicum, cammaris fungisque saeptum.  
Vitulinae costulæ in craticula assae, solanulæ tuberosis ornatae.  
Castaneæ crustulatae cum flore lactis.*

### locosa

#### Magister Tuccio:

— Curnam mane schola abfuisti?  
— Tonsorem adivi.  
— Profecto scholæ tempore? !  
— Numne per scholæ tempus coma mea non crescit?

#### Mater Tuccio:

— Ohe! Poculum lactis, quod tibi paravi, gallinae effundis?...  
— Evidem, mamma; spero fore ut ea sit me remuneratura ovo!

### Aenigmata

#### I

Sollertia manus artificis si me bene pinxit,  
Summo iure tibi tum vocor « alter ego ».  
Frontem deme mihi: sum Poenus nobilis ortu;  
adiuvi fratrem sedulus Hannibalem.

#### II

Pars hominis melior dicor, data caelitus illi.  
Principium muta! Mordeo in ore dapes.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Ora-Ara-Ira*; 2) *Sudor-Pudor*.

### LIBRORUM RECENSIO

FERDINANDO BERNINI, *Latino vivente* (Avviamo allo scrivere latino) — Edid. Societas Internat. Augustae Taur. — Pret. ital. lib. 20.

Qui in utilitatem praecipue scholarum secundi ordinis vocabularium latinum-italicum et italicum-latinum, probabile quidem, paucis ante annis confecit, quemadmodum suo tempore nunquam invicimus, novo hoc opere institutum atque auxilium Italiam praebet ad latine scribendum; idque perseverans analogias simul et differentias inter duas linguis, atque statuens inde peculiares latinae linguae notas, quibus necessario ita ea composita atque universa facta est, ut, caute quamquam, uti possit subsidiis, quibus efficienter atque perspicue, quinimo non sine aliqua elegantia, omni tempore et ubique omnia exprimere valeat.

Opus in duas partes distribuitur: altera de ratione ac disciplina, in qua latinorum verborum circuitus cohaerentia ac definitio exponuntur; de usu atque exercitatione altera, in qua gradualis directio ad latine tum soluta oratione, tum metrica arte scribendum explicatur, argumenta evolvenda proponuntur, atque latinorum colloquiorum specimina exhibentur. Sequuntur denique exempla nonnulla recentiores res latine expressas proferentia; quae operis pars, si contractam esse debuisse non inficer, in ampliore

tamen caelo tum argumentorum tum scriptorum spatiari potuisse mihi videtur, ipso paginarum numero immutato relicto. Certe vero volumen auctor composuit, quod doctrina et usus perutile, iis praesertim qui apud Italos nos periculum scriptoris latine aggressuri sint, evadet.

I. F.

JOSEPH MORABITO Messanensis *Epigrammatum liber* (Napocæ, in Romania, MCMXXXVIII).

Hunc quidem legentibus Commentarium haud ignotum est Iosephi Morabiti nomen; quippe cuius crebriora, eaque recti iudicii viris qui bonam callent Latinitatem, non contemnenda hic carmina viderint probaverintque. Qui tamen uno, ut ita dicam, poëticō genere delectatus, epica modo, modo lyrīca tantum canere videbatur, hoc libello plenos *itali aceti*, quod nunquam antea, versus, suique novam quandam ingenii et poëticæ venae imaginem speciemque lectoribus praebet. Sunt XXXVI epigrammata, quibus quinque praeit elegis St. Bezdechius editor, idemque apud Romenos latīnae poësis haud ignobilis cultor. Cuncta equidem laudo; minus quae ad hominem concinnata: in his enim nonnihil, ut par est, salis deperditur, ne scio quid fellis, scilicet amarioris, comparet. Nonnulla e Martialis deducta; plura de nostrae aetatis moribus; quaedam de grammaticis aliisque litteratis hominibus; at omnia tam sapida, ut nihil pulcrius desideres, licet et quandoque, in re metrica praesertim, vitium aliquod (ex. gr. primam nec et *Linae productam*) deprehendas.

« Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis offendar maculis... ».

Itaque poëtae elegantissimo, qui vel in epigrammatis fere suus esse videtur, gratulamur, atque qua pollet felici — ut Quintiliane utar verbis — facilitate, alia tanquam e penū suo tam probanda promat, vehementer optamus.

AL. BARTOLI.

#### IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS Ep. Porphyreonen.  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS